

batione deficit peccat mortaliter, cum obligatione restituendi omne, quod accusatus, in se defendendo, expenderit: non enim potest iuste accusare, qui nequit probare ait. D. Tho. 2. 2. q. 69. art. 3. ad primum argu.

Septimum. Qui uindictam querit de damno sibi illato, per aliam uiam, quã per terminos iustitiæ: scilicet de alijs maleficijs eum accusando: alterius causam adiuvando, falsis probationibus calumniando, & similibus modis eum perseguendo cum restitutione damni indebitè facti ultra mortale.

Octauum. Qui iniuria sibi facta, propria autoritate, uendicatur, uel pro damno recepto damnum infert, peccat mortaliter, si est notabile, non tamen tenetur ad restitutionem, si damnum, quod intulit, damnum passum non exuperat.

Nonum. Dominus, qui seruorum, Princeps qui uassallorum, Prælatus, & qui libet superior, qui subditorum peccata non punit: contra eos iuste irascendo, uel saltem non irascitur, quantum peccata merent, peccat mortaliter, peccato omissionis: & si illi perseuerant in delictis, in suis superioribus fiduciam habentes: eo quod eos non castigant: tenentur de damnis: quia uidentur consentire.

Decimũ. Qui Dominus, Princeps, Prælatus, ac superior, per indignationem & odium, seruos, uassallos, aut subditos persequitur, & punit, plusquam peccata merent: peccat mortaliter: & si per hæc notabiliter, indebitè ab eis pecunias extorquet, tenetur ad restitutionem, de illo superfluo, quod peccata non merent.

Vndecimũ. Qui, per iram, aut impatientiam se ipsum percutit, aut mutilat, aut aliud simile damnum in propriam personam infert, uel mortem sibi optat, pro qua indiscretas abstinentias facit, aut incomportabiles labores sublinet, ut uitam sibi abreuiet, aut cibos, & alia sibi nocua comedit, & bibit: ut uitam cito finiat: mortaliter peccat: quia sui ipsius homicida est, ait Augusti. quod non licet.

Duodecimũ. Qui contra proximum, iratus, eum carcerat, aut carcerare facit sine ratione, ut de eo uindictetur, mortaliter peccat, & de damno, & iniuria tenetur.

Tertiumdecimũ. Qui affectus iniuria, scit eius parentes, uel famulos, de illa uelle uindicari, consentit, aut saltem eos a uindicta non abducit, peccat mortaliter, & sic de similibus.

Ira tres sunt species, quibus iracundum tripliciter noñari contingit. Prima uocatur Fellex, secundum Gregorium Nicænum, quæ est dum statim insurgit, & cito transit ut sunt mulieres & homines paruæ staturæ, quam ex leui causa subito irascuntur, & parum durat, eo quod sanguis statim ad cor ascendit, & statim descendit, quos Philosophus uocat acutos. Secunda dicitur a Gregorio, Mania, seu Insania, quæ lente insurgit: ut sunt quidam longioris staturæ, qui non habent motum sanguinis, sic uelocem: & aliquando ex longa memoria iniuriæ illatæ non sic cito transit: quos Philosophus uocat amaros: eo quod sunt peiores. Tertia nominatur Furor, & est, dum homo sic obstinatè uindictam appetit, ut donec puniatur, nunquam dimittit, quos Philosophus uocat difficiles: & hoc est pessima: quia sine misericordia assimilatur Tigribus, & feris crudelibus.

Hoc peccatum dicitur capitale, propterea quod multa alia, ex eo originem trahunt: uel ratione impetus a corde surgentis mentem impediens, & ad quæcunque inordinate agenda præcipitantis, & hoc modo per accidens dicitur ianua omnium peccatorum: uel ratione uindictæ quam appetit, & secundum hoc per se dicitur causa aliquorum peccatorum, specialem quæ oriuntur

7. Corollarium.

8. Corollarium.

9. Corollarium.  
Dominus & superiores quando tenentur pro suis subditis.

10. Corollarium.

11. Corollarium.

12. Corollarium.

13. Corollarium.

85

Species Ira sunt tres.

Ira fellex acuta.

Ira insana & amara

Ira difficilis qua dicitur furor.

Ira peccatũ capitale.

Ira Ianua omnium peccatorum